



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio tertia. Vtrum plures personæ possint assumere vnam naturam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



quia cum essentia diuina vnitur natura humana assumpta, quo vnio non sufficit ad hoc quod natura assumpta sit vnio personaliter cum filio, & non cum patre & spiritu sancto. Sed vltra hoc requiritur vnio nature assumptæ cum proprietate filii, idcirco in hoc differt ex natura rei proprietates relatiua filii ab essentia communi.

15 AD primum argumentum dicendum quod ex sola per se subsistentia habet persona diuina, quod natura humana in ea existat. Sed vnio secundum existentiam non sufficit ad vnionem personalem, sed requiritur vltior vnio quantum ad ea que sunt propria persone, vt dictum est, & ideo non valet.

16 Ad secundum patet per idem, ad vnionem enim que est per existentiam nature assumptæ cum persona assumptæ sufficit quod assumens sit infinite virtutis, vt possit hoc facere, & infinite perfectionis, vt possit alterius dependentiam terminare. Sed in hoc non completur assumptio personalis, sed in vnione nature assumptæ cum eo quod est proprium personæ.

17 Ad tertium argumentum dicendum quod licet in omni reciproco oporteat quod aliquid vnum & idem sit principium actus & terminus, non oportet tamē quod omne illud quod est principium actionis sit terminus, verbi gratia contingit multos trahere nauem ad vnum solum ex ipsiis & ille solus dicitur trahere nauē ad se, quia solus ipse est terminus tractus, licet nō ipse solus sit principium tractus, sed omnes simul, & eodem modo in proposito, quia omnes persone simul quasi trahunt naturam humanam ad personalitatem solius filii, & ideo solus filius dicitur assumere, quia solus ipse est terminus tractus, licet ipse nō sit solum principium talis actus.

18 Ad quartum dicendum quod actus notionalis est actus productionis, nec terminatur nisi ad productū notionale, & similiter essentialis quādo est actus productionis non terminatur nisi ad productū essentialē. Incarnatio autem non est actus productionis, sed vnionis productorum, & talis actus potest indifferenter terminari ad vnionem essentialis cum essentiali, vel essentialis cum personalis, & sic fit, quia per incarnationem vnitur natura humana nature diuinæ & personæ.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum plures persone possint assumere vnā naturam.

Henr. quodl. 6. q. 7. Tho. 3. q. 3. art. 6.

**T**ertio queritur, vtrum plures persone possint assumere vnā naturam. Et videtur quod nō, quia vna persona non potest assumere plures naturas: ergo nec plures persone vnā naturam, consequentia patet per simile: antecedens probatur, quia plura solo numero differentia non possunt esse in eodem & secundum idem. Sed due humanitates solo numero differunt, ergo non possunt esse in eodem vno supposito diuino, essent enim in eo secundum idem cum non sit ibi dare partem & partem.

2 Item que sunt plura in creaturis vniantur in Deo, sed nunquam est conuerso, quod illa que sunt plura in Deo vniantur in creatura, sed si plures persone diuine possent vnā naturam assumere plura in Deo vnirentur in creatura, quia plures persone diuinæ in vna natura assumpta, ergo illud non est possibile.

3 Item si plures persone assumerent vnā naturā, aut ibi esset vnus homo, aut plures, non vnus, quia homo dicitur suppositum habens humanitatē, & vnus homo vnum suppositum. Sed plures persone sunt plura supposita & non vnum, ergo plures persone nō possent dici vnus homo, esto quod assumerent vnā humanitatem. Item nec plures, quia si stāte vnitate humanitatis assumptæ plures persone dicerentur plures homines, eadem ratione stāte vnitate diuinæ essentia plures persone dicerentur plures Dii: hoc autem est falsum, ergo & illud.

4 IN contrariam est: quia quecumque sunt naturaliter in vna persona sunt ex necessitate in omnibus personis, nisi oppositio relatiua impediatur, ergo quecumque sunt in vna persona non ex necessitate, sed voluntariē assumpta possunt esse in omnibus personis, nisi oppositio relatiua impediatur, nature autē assumptæ ab vna persona nihil opponitur relatiuē in aliis, ergo potest assumi ab eis, conse-

quentia probatur, quia sicut se habent ad necessariā communicationem illa que sunt in Deo naturaliter & ex necessitate. Sic se habent ad possibilem communicationem & non necessariam illa que sunt in Deo assumpta voluntariē.

5 **R**ESPONSIO. Circa questionem istā duo sunt vidēda. Primum est vtrum vna persona possit simul assumere plures naturas, & hoc implicatur in quodā argumento. Secundum est id quod principaliter queritur, scilicet vtrum plures persone possint simul assumere vnā naturam.

6 **Q**UANTVM ad primum articulum est sententia Doctorum satis concors, ferē enim omnes concordant quod vna persona potest assumere plures naturas eiusdem speciei, puta plures humanitates vel diuersarum specierum, puta humanitatem & aliquam aliam naturam dummodo sit assumptibilis. Cuius ratio est, quia effectus qui fit ab agente liberē, & non equatur sue cause potest pluries iterari, sed assumptio humanitatis vel cuiuscumque nature a persona diuina fit liberē, nec equatur sue cause, scilicet virtuti diuinę persone assumētis, nec virtuti effectiue, nec terminatiue, ergo potest pluries iterari.

7 **S**ECVNDVS articulus est magis dubius, & ideo circa ipsum procedetur sic, quia primō ponetur veritas questionis, & secundō ponetur impugnatio illius veritatis. Tertio confirmabitur veritas posita, & quarto soluentur rationes impugnantes veritatem. Quantum ad primum sciendum est quod natura assumptibilis potest dici vna dupliciter, scilicet vnitate singularitatis, vel vnitate personalitatis. Dicendum est ergo quod a pluribus personis diuinis potest assumi natura vna vnitate singularitatis, non autem vnitate personalitatis, id est, non in vnā personalitate. Primum patet, quia persone diuinę a nullo absoluto se excludunt, cum distinguantur solum relationibus. Sed natura assumpta est aliquid absolutum, ergo per hoc quod assumitur ab vna persona nō excluditur quin possit assumi ab alia. Secundū patet, quia persona assumens & natura assumpta sunt vnū secundum suppositum, sed plures persone diuinę nō possunt esse vnū vnitate suppositi, vel personalitatis, ergo natura assumpta a pluribus personis non potest esse vna vnitate personalitatis, sed habet plures personalitates, esset ergo talis natura vna secundum suppositum vel personam cum quolibet vna persona, ita quod persona assumēs & natura assumpta essent vnū secundum personā, sed eadem natura cum pluribus personis simul haberet plures personalitates, cum qualibet tamen per se haberet tantum vnā.

8 Quantum autem ad secundum sciendum quod aliquibus videtur contrarium propter multa. Primum est, quia infinitati nature attestatur quod vna & eadē sit in pluribus suppositis, vnde consuevit dici quod pluralitas suppositorum diuinorum cum vnitate diuinę nature prouenit ex illimitatione nature diuinę. Sed omnis infinitas & illimitatio repugnat creature, ergo nulla vna creatura creata sit potest assumi quod existat in pluribus suppositis.

9 Secūdo, quia dependentia nature creatę assumptę per se fitus terminatur per diuinum suppositum, quā terminaretur per proprium. Sed si natura creata constitueret proprium suppositum non posset simul esse in proprio supposito & in alieno, ergo fortiori ratione natura creata assumpta ab vno supposito diuino non potest assumi ab alio.

10 Tertio, quia sicut accidens naturaliter subsistentatur in supposito substantię, sic miraculosē natura humana subsistentatur in supposito diuino assumente eam, sed vnū accidens non potest naturaliter simul esse in pluribus suppositis creatis, ergo nec natura humana, miraculosē in pluribus suppositis diuinis.

11 Quarto, quia Ansel. de conceptu virginali expressē dicit ca. 7. quod tres persone non potuerunt vnū eundem hominē assumere. Et si dicatur quod ibi Ansel. accipit hominem pro supposito quod non est assumptibile, & non pro natura. Contra, quia ibidem concedit quod vna persona potuit assumere hominem, non autē tres persone. Sed primum non potest concedi accipiendo hominē pro supposito, sed solum pro natura, ergo secundū non negatur accipiendo hominem pro supposito, sed pro natura.

12 Deinde confirmanda est veritas prius posita (scilicet quod plures persone a nullo absoluto se excludunt,) &

DD 4 hoc

in primo.

Inf. d. 5. c. 5. m. 6.



Magistri Durandi de Sancto Porciano

hoc patet ad presens dupliciter. Primò comparando naturam assumptam ad personam diuinam & hoc sic, distinctio aliquorū per oppositiones relationis magis videtur impedire vnitatem relationis in sic distinctis, quā vnitatem cuiuscūq; absoluti in eis, sed nō obstante distinctio: ne per oppositas relatiōes vna relatio numero potest esse in pluribus personis sicut in patre, & filio est vna communis spiratio, ergo fortiori ratione in pluribus personis potest esse quæcūque vna natura absoluta.

12 Sed dices quòd maior est vera accipiendi relationem & naturam absolutā proportionabiliter puta naturam diuinam & relationem diuinā, vel naturam creatam & relationem creatam, non autem accipiēdo relationem diuinā & naturam absolutā creatam, quia natura increata & eius relatio propter sui infinitatē potest esse in pluribus suppositis, natura autem creata non potest propter limitationem suam. Sed istud nō valet, quia relatio diuina non est infinita, eo quòd nihil potest habere rationem in finiti, quod non potest induere rationem quanti, finitum enim & infinitum quantitati congruunt. Relatio autem nullo modo potest habere rationem quāti, neq; secundum molem, neq; secundum perfectionē, quia tunc cui deesset aliqua relatio deesset aliqua perfectio, quod falsum est, quia nullum suppositum diuinum alteri simpliciter perfectum non conuenit igitur relationi diuine propter suam infinitatem quòd sit in pluribus suppositis, & eadē ratione non repugnat naturā creatā propter sui limitationem & finitatē quin possit esse in pluribus suppositis diuinis.

13 Secundo patet idem comparando suppositum diuinum ad suppositum creatum. suppositum enim creatum cum sit absolutū est aliquid in se, & ad se, suppositum verò diuinum cum sit relatiuum nō est aliquid in se, vel ad se, sed quicquid est in quantum suppositum totum est ad aliud, quia tota quidditas relationis est ad aliud esse. Ex hoc sequitur duplex alia differētia. Prima est quòd suppositum creatum cum sit aliquid in se per vnum & idem distinguitur à quolibet supposito eiusdem naturæ (scilicet per id per quod constituitur) suppositum verò diuinum, quia non est aliquid in se, sed totum quod est ad aliud est, non per idem distinguitur à quolibet alio supposito diuini, sed per aliud & aliud, quia non per idem refertur ad plura, sed per diuersa, distinguitur autem per illud per quod refertur, propter quod sicut per diuersa refertur sic per diuersa distinguitur, quia etiā refertur quandoq; per id per quod primò nō constituitur, sicut Pater & filius refertur ad Spiritum sanctum per communem spirationem quæ nō est primò constitutiva Patris & filii, ideo suppositum diuinum non semper distinguitur ab alio supposito diuino quocūq; per illud per quod primò constituitur maxime secundum opinionē illam quæ probata fuit in 1. i. d. 11. q. 2. (scilicet quòd Spiritus sanctus nō distingueretur personaliter à filio si non procederet ab eo.

14 Secunda differētia est quia suppositū creatum est aliquid in se & per vnum & idem distinctū à quolibet alio, ideo quicquid est in vno supposito creato totū est distinctum ab omni eo quod est in alio supposito, quia distinctionem substantiæ sequitur distinctio accidentiū absolutorum & respectiuorū, sed suppositum diuinū, sicut per illud per quod primò est suppositū, non distinguitur à quolibet alio supposito, sed per aliud & per aliud, ita cum ab aliquo distinguitur nō distinguitur ab eo secundū omne quod est in ipso, sed solum secundū illud secundum quod ad illud refertur mediātē vel immediātē, directē vel indirectē, & ideo filius qui per solam filiationē dicitur ad Patrem per eam solam à Patre distinguitur & non ab omni quod est in Patre, quia nō ab essentia, nec à cōmuni spiratione, quia ad distinctionē relationum nō sequitur distinctio absolutorum, nec relationū disparatarum, sed solum eorum quæ habent oppositionem directā vel indirectā, ex quo potest breuiter argui sicut prius arguebatur, distinctio relatiua non causat aliquā distinctionē in aliquo absoluto, sed personæ diuinæ distinguuntur solum relatiuē, ergo possunt in vno quocūq; absoluto conuenire.

15 Quarto respondendū est ad rationes in contrarium adductas, cum enim primò dicitur quod infinitati naturæ attestatur quòd vna & eadē sit in pluribus suppositis, istud quidem verū est de natura quæ intrinsecē pertinet ad na-

turam suppositorum, & est tanquā fundamentum proprietatum quibus supposita cōstituantur & distinguitur & hæc est sola essentia diuina, sed esse in pluribus suppositis relatis quasi extrinsecē, (puta quia sine eo essent supposita) cōmunicatur tamen ei existere in talibus suppositis non arguit aliquam infinitatē, quod patet ex simili, circū scribendo enim à deo supposita relata, & ponendo vnum solum suppositum absolutum (sicut ponunt Iudæi & Gentiles) tanta infinitas esset in illo vno supposito, sicut nunc est in pluribus relatis, & tamen non oporteret naturam assumptam in illo supposito esse infinitam, quia non pertineret intrinsecē ad naturam suppositi, sed solum ei cōmunicaretur vt suum esse finitum haberet in supposito in finito, & sic est in proposito de existentia vnius naturæ creatæ finitæ in pluribus suppositis diuinis.

16 Ad secundum dicendum quòd tota dependētia naturæ humanæ terminatur per vnum suppositū diuinum æquē perfectē, vel perfectius quā terminaretur per suppositum proprium, quia substantia diuini suppositi perfectior est quā substantia cuiuslibet suppositi & creati, tamen hoc non obstante potest assumi ab alio supposito diuino, quia nō assumitur ad nouā substantiā cum subsistere diuinum sit tantū vnum, vt superius fuit probatum sed cōmunicatur ei noua vna cum proprio alterius personæ quæ non repugnat priori vnioni cum proprio primæ personæ assumens, sed si natura creata substantificatur in supposito proprio non potest substantificari in alieno creato, vel non creato, nisi assumeretur ad nouum subsistere in alio, & istud contradicit ei quòd est subsistere in seipso, & ideo istud non est possibile sicut aliud.

17 Ad tertium dicunt quidam quòd non est idem de accidente respectu diuersorum suppositorum creatorū & de natura humana respectu plurimorum suppositorū diuinorum, quia accidens habet vnitatem suæ singularitatis à subiecto, & ideo non stant simul vnitatis accidentis cū pluralitate subiectorū. Sed natura humana, & quæcūq; alia natura nata cōstituitur secundum se suppositum habet à se suam singularitatem & non à supposito, & ideo vnitatis talis naturæ potest stare cum pluralitate suppositorum. Sed istud non videtur bene dictum, quia Deus potest facere absq; subiecto aliquid accidens vnum numero, & contra quòd tale non haberet à subiecto suam singularitatem, potest ergo tale accidens esse in pluribus subiectis sicut natura humana in pluribus suppositis: & si vnum non datur, nec aliud debet dari.

18 Et ideo aliter dicendum quòd nō est simile hinc & inde, quia supposita creata absoluta sunt, & ideo quicquid est in eis distinguitur distinctione ipsorum, sed supposita diuina sunt relata & ideo non distinguitur quicquid est in eis, sed solum relationes, non quæcūq; sed supposita.

19 Ad quartum dicendum quòd Ansel. intelligit quòd tres personæ non possunt simul & semel assumere vnum hominem vel humanam naturam ita scilicet quòd assumant eam ad vnam personalitatē, dicit enim sic, impossibile est tres personas esse vnam personam cum vno eodemq; homine, & in isto sensu concessum fuit quòd tres personæ non possunt assumere vnam naturam.

20 Ad primum argumentum principale dicendum est quòd sicut tres personæ possunt assumere vnam naturam, ita plures naturæ possunt assumi ab vna persona, & cum dicitur quòd plura solo numero differētia nō possunt esse in eodem & secundum idem, verum est si sunt in eo per inhzrentiam, quia secundum naturam non haberent vnde distinguerentur, fortē tamen diuina virtute posset hoc fieri, quæ autem sunt in aliquo non per inhzrentiam, sed per habitudinem aliam quocūque nomine illa habitudo censetur vt humanitas est in Christo, nihil prohibet plura solo numero differētia esse in eodem, quia nec ex parte suppositi sufficientis est repugnantia cum habeat virtutem terminatiuam dependentiæ habentium naturarum, nec ex parte naturarum cum habeat in se per quod distinguantur, & distinctē existant loco, licet non supposito.

21 Ad secundū dicendum quod si natura creata assumeretur à tribus personis in vnam personalitatem, tunc distincta in Deo vnirentur in creatura, quia ille tres personæ diuinæ in vnam personalitatē naturæ assumptæ, sed nō est sic,



sic, imò assumeretur ad tres personalitates, non quæ sunt subiectiue existentes in natura assumpta, & causatæ à personis assumptibus, quia tunc non esset assumptio, cum assumens & assumptum debeant esse vnum secundum suppositum, sed quia ipsæmet personalitates communicatur naturæ assumptæ vt in ipsis existat.

22. Ad tertium dicendum quod nomine hominis & consimilibus vtendū est sicut sunt ad significandum imposita, hoc autē est secundū ea quæ videmus in creaturis, in quibus videmus regulariter quod suppositum & natura quæ natura est suppositum constituere sibi correspondent secundū vnitatem & pluralitatem. Ita quod non inuenitur pluralitas suppositorum sine pluralitate naturæ, nec pluralitas naturæ sine pluralitate suppositorum, propter quod nisi inueniretur contrarium, impossibile esset inuenire proprium modum loquendi, & ideo si vna persona assumeret plures naturas, vel plures personæ vnā naturā nō posset proprie dici quod ibi essent plures homines, aut quod esset vnus homo, quia pluralitati semper obfisteret vnitatis naturæ vel suppositi, & vnitati obfisteret pluralitas ex parte alterius eorū. Veruntamen ex quo oportet loqui improprie eligendum esset illud quod minus habet de improprietate hoc autē esset fumendo vnitatem, vel pluralitatem secundum naturam assumptam, ita quod si vna persona assumeret plures humanitates dicerentur plures homines, & si plures assumerent vnā dicerentur vnus homo.

23. Cuius ratio est, quia secus est de nominibus substantiuis, & de adiectiuis, quia adiectiua cum significant in totali dependentiā ad suppositū, ideo secundum pluralitatem suppositorū dicuntur pluraliter, etiā si forma importata per ea sit vna numero, sicut dicimus quod Pater & Filius sunt spirantes spiritum sanctum, quauis virtus spirantia & actus spirandi sint vnum numero in patre & filio. Nomina vero substantiua cum nō sic significant dependentē dicuntur pluraliter vel singulariter secundum conditionē formæ, vel naturæ per ea importata, sicut dicimus quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus. Cum igitur nomen hominis sit substantiuum debet prædicari singulariter vel pluraliter de his de quibus dicitur secundum vnitatem vel pluralitatem formæ importatæ nomine hominis, & non secundum vnitatem, vel pluralitatem suppositi. Istud tamen non est sine aliqua improprietate, vt dictum est.

#### QUESTIO QVARTA.

Vtrum possibile sit aliquam naturam assumi circumscriptis proprietatibus personalibus.

Thom. 1. p. q. 3. ar. 3.

Quæritur, vtrum circumscriptis proprietatibus personalibus à diuinis possibile esset naturam aliquam assumi. Et videtur quod nō, quia ex assumptæ & assumpti sit vnum: sed istud nullo modo posset esse circumscriptis proprietatibus personalibus à diuinis, quare, &c. Minor probatur quod si posset fieri vnum, aut ferret vnum secundum naturā, aut secundum suppositum, non vnum secundum naturam, quia natura diuina & natura humana nō possunt fieri vna natura, nec aliquis hoc potest, nec vnum secundum suppositum, quia vbi natura & suppositum sunt idem penitus secundum rem non potest fieri ex aliquibus vnum secundum suppositum quin fiat vnum secundum naturā. Sed circumscriptis proprietatibus relatiuis idem esset penitus in deo natura & suppositum, ergo nō posset fieri ex natura assumpta & deo assumente vnum secundum suppositū, nisi fieret vnum secundum naturam, sed illud impossibile est, ergo & istud, quare &c.

2. Item si fieret vnum secundum suppositū, aut hoc esset secundū suppositum creatū, aut secundum suppositū increatum, nō secundū suppositum creatū, quia tunc oportet quod natura diuina amitteret propriam subsistentiā, quod est impossibile, nec secundū suppositum increatū, quia secundū hypothesin nullū suppositū esset in diuinis: suppositum enim dicitur quasi sub alio positum, quod contingit tripliciter, vno modo sicut particulare est sub vniuersali, & tale suppositū est solū in illis in quibus inueniuntur genus & species (vt dicit Auct. in met. sua) quod nō cōpetit diuinis. Alio modo sicut subiectū supponitur accidentibus, quod etiā deo nō cōuenit, quia in ipso nullū est accidēs. Tertio modo sicut in cōmunicabile sub cōmunicabili, sicut dicitur

#### Quæstio IIII.

273

mus in diuinis supposita relatiua & incōmunicabilia esse sub essentia cōmunicabili, sed istud nō esse in diuinis circumscriptis proprietatibus relatiuis, ergo nullo modo esset ibi suppositū, quare nec assumptio ad vnitatem suppositi.

3. IN contrarium arguitur, quia manente eadē potentia ex parte dei & eadē obedientia ex parte creaturæ maneret idē effectus possibilis, sed circumscriptis proprietatibus relatiuis adhuc remaneret eadē potentia ex parte dei, quia potentia est de absolutis, & eadem obedientia ex parte creaturæ, eo quod circa creaturā nihil ponitur esse mutatum, ergo sicut nunc est possibilis assumptio, ita & tunc.

4. RESPONSIO. Circa quæstionē istā aduertendū est quod ipsa potest habere duplicē intellectū. Primus est quod fieret circumscriptio proprietatū relatiuarū nō quidē à diuinis, sed ab assumptione vel incarnatione sub hoc sensu, vtrum in supposito diuino, licet relato possit vniri humana natura cū diuina & non cū proprietate relatiua. Secundus intellectus est quod fieret circumscriptio proprietatū relatiuarū nō solū ab incarnatione, sed totaliter à diuinis. Et iuxta vtrumque intellectum oportet tractare quæstionem.

5. Quæritur ad primū intellectum quæstionis dicendū quod natura humana posset vniri cū diuina in eodē supposito relato quæritur ad existentiam dato quod non vniretur cū proprietate relatiua quantum ad personā seu quantum ad vnitatem personalem, quod patet sic, si nō posset fieri vnio naturæ humanæ cū diuina in supposito diuino, licet relato, quantum ad existentiam, nisi fieret vnio eiusdē naturæ cū proprietate relatiua quoad personam hoc nō esset nisi quia vnio naturarū secundū existentiam supponeret vnionē secundū esse personale, aut quia vnionē secundū existentiam, necessario cōcomitaretur vel sequeretur vnio secundum personā vel secundū esse personale, sed neutrum istorū est vt probatur, ergo natura humana posset vniri diuinæ in supposito relato quantum ad existentiam dato quod non vniretur proprietati relatiuæ quantum ad personā. Maior patet, quia si vna vnio nō supponit aliam nec necessario concomitatur vel sequitur, tunc vna potest esse sine alia. Minor probatur quantum ad oēs eius articulos, quod enim vnio naturæ creatæ & diuinæ in eodē supposito secundū existentiam nō supponat tanquam priorē vnionē quæ est secundū proprietatem relatiuā iam patet ex dictis in 2. quæst. Quod autē vnionē naturæ humanæ cū diuina quantum ad existentiam nō necessario cōcomitetur vel sequatur vnio eiusdē naturæ cū proprietate relatiua quoad personā patet, quia ista cōcomitatio, vel cōsequentia necessaria nō esset nisi ex habitudine essentia diuinæ ad proprietatem relatiuā, quia natura humana secundū se nullā habitudinē necessariā habet ad hoc quod vniretur proprietati relatiuæ, & ideo si sit ibi aliqua necessitas illa cōsurgit ex habitudine naturæ diuinæ ad proprietatem relatiuā, vt quia natura humana vnita est diuinæ quæ necessariā habet habitudinē ad proprietatem relatiuā per cōsequens vniretur necessario alicui proprietati relatiuæ. Sed istud nō potest dici, quia essentia diuina nō solum habet necessariā habitudinē ad vniū proprietatem relatiuā sed ad oēs, si ergo propter necessariā habitudinē naturæ diuinæ cū proprietate relatiua ad vniū onem naturæ humanæ cū essentia diuina secundū existentiam sequeretur necessario vnio eiusdē cū proprietate relatiua quoad personā, sequeretur quod non posset fieri vnio naturæ creatæ cum diuina secundū existentiam quin fieret vnio eiusdē cum qualibet proprietate relatiua quoad personam, quia essentia diuina ad quamlibet habet necessariā habitudinē & nō ad alterā solū: ita vnū suppositū relatum nō posset assumere sine alio, quod est erroneū. Relinquitur ergo quod in supposito diuino licet relato, possit fieri vnio naturæ humanæ cū diuina secundū existentiam, dato quod non fieret cum proprietate relatiua quoad personam, sed tunc certē talis vnio nō plus fieret in vno supposito quā in alio, sed æqualiter in omnibus, quia esset solū secundum existentiam, quod est omnibus commune & nō secundum aliquid proprium & personale.

6. Sed contra hoc possit aliquis sic obicere, ex vnione naturæ humanæ cū diuina secundum existentiam, sequitur quod potest dici quod homo sit deus, & deus homo, sed si deus est homo, ergo vel pater, vel filius, vel spir. sanct. vel oēs simul, quicquid enim reale cōuenit termino cōmuni: conuenit alicui supposito, sicut patet de hoīe respectu Sortis

DD 5 &